



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXIIX. De jure quod competit in bona Ecclesiastica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

nos demum in Christianam Rempublicam invecam pronunciant. Sed & Martinus Azpilcueta Navarrus celebris canonum Interpres adeo negavit, tum in *manuali Confessariorum*, tum in speciali tractatu de *reditibus beneficiorum Ecclesiasticorum*, Clericos esse reddituum suorum Ecclesiasticorum dominos, ut non tantum asfereret, Clericum ne vestis quidem, qua se quotidie induit, dominum esse, sed nec panem etiam, quem manducat, ejus esse, verum etiam Clericum abutentem redditibus, vel beneficium impendentem superfluum vel profane reddituum suorum beneficiorum teneri ad restitutionem.

CAP. XXVIII.

De Jure quod competit in bona Ecclesiastica.

I.

Quando, & qua ratione primum ceperint bona, & immobilia praefertim, Ecclesiae acquiri, nunc non erimus solliciti. Id vero certum est, quod jam diu observarunt eruditi, longe utilius fuisse Ecclesiae, si caruisset immensis istis opibus, & amplissimis patrimoniis, quibus eam eminere voluerunt principes Christiani. *Postquam enim Ecclesia ad Christianos principes venit* (verba sunt B. Hieronymi in *vita Malchi*) *potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Qui vero minor? quia scilicet qui solet sublevari res secundas & bonorum omnium affluentiam, luxus illico sacerdotum animos occupavit, & hinc divini muneris sui negligentia causata fuit. Ab sacerdotibus exempla manarunt in populum, qui in depravatis moribus illapsus non jam Ecclesiam amplius constituere videbatur, sed perditissimorum & ad quavis delicta promptissimorum hominum coetum, ut verè dixerit Salvianus Masfiliensis l. 3. de gubern. DEI: *praeter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud omnis coetus Christianorum, quam sentina vitiorum?* Adeo verum scilicet est illud Severi Sulpitii: *auro non strui Ecclesiam, sed destrui.* Scitè admodum Bonifacius Episcopus Moguntinus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nun è contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus;* uti legitur apud Gratianum c. *vasa, de consecrat. dist. 1.* Res ipsa loquitur, immensam principum quorundam munificentiam, utcumque pius esset eorum affectus tantum virus in Ecclesiam sparsisse, ut ex decantata illa à Poëta Pandoræ pyxide non plus malorum in homines exiliisse credendum sit. Ut nec temerè propterea prohibitum aliquando sit, ne in Ecclesiam bona immobilia deinceps amplius transferrentur.

Hhhhh 2

II. Post.

II. Postquam verò illis, qui primas in Ecclesiâ tenuerunt, omnino ita placuit, ut qui fundi deinceps à piis hominibus in sacros usus offerrentur, non venderentur amplius, quod Apostolorum temporibus fieri consueverat, & pretium inter pauperes distribueretur, sed ut retinerentur isti, & Ecclesia inde patrimonium aliquod in bonis immobilibus perpetuum haberet, utve lucrum, quod inde expectandum erat, Ecclesiæ cuique proprium esset, cœperunt illicò novæ moveri disquisitiones, potissimum de administratione talium bonorum, quis eorum curam habere deberet. Quamvis verò Apostoli, quorum successores se jactitant Episcopi, noluerint onus istud, quod susceperant aliquando, sustinere amplius, sed in id diaconos instituerint, quo omni isthâc curâ soluti liberius ipsi munere deo cendi defungerentur; Episcopi tamen curam illam, quam declinaverant Apostoli, lubentes in se mox receperunt, & cum pietate atque sanctitate vitæ præclarè eminent, tantâ cum integritate illam gesserunt, ut nemo esset, qui non institutum istud & rationem administrandi maxime probaret.

III. Nec tamen in omnibus ubique Ecclesiis eadem obtinuit administrandi ratio, sed fuerunt nihilominus Episcopi, qui Apostolorum exemplum secuti, ut sufficere possent muneri Ecclesiastico, quod sustinebant, rationibus istis alium aliquem præfecerunt, cui hæc imprimis cura commissa fuit, ut in dispensatione bonorum Ecclesiasticorum bonam fidem præstarent. Fuitq; hæc vel Episcopi ipsius, vel ejus, quem ille præfecerat, functio tantæ autoritatis, ut si quis eam contemneret, & sine eorum præscitu Ecclesiæ aliquid offerret, aut oblatum Ecclesiastica aliqua persona acciperet, uterque anathematis fulmine percelleretur. Sic enim constitutum legitur in Concilio Gangrensi *can. 7.* Si quis Ecclesiasticas fructuum oblationes extra Ecclesiam accipere aut dare voluerit præter consensum Episcopi vel ejus, cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Et *can. 8.* Si quis dederit vel acceperit fructuum oblationes præter Episcopum vel eum, qui constitutus est ad dispensationem beneficentia: & qui dat & qui accipit, anathema sit. Eustathius nempe, quem ita notat Concilium Gangrense, sive Sebastenus is fuerit, sive alius aliquis, de quo adhuc contendunt eruditi, persuaserat nonnullis, ut Ecclesiarum consortia refugerent, nec cum reliquis fidelibus communicarent, sed tanquam pari atq; integri seorsim domi sacra mysteria participarent. Ex hoc principio discipuli ejus specialem sibi formarunt disciplinæ rationem, statuentes inter alia, ut quas vellet quis pauperibus eleemosynas conferre, sibi velut justis earum dispensatoribus ad erogandum & distribuendam eas traderet. Hæc enim sunt verba Epistolæ Synodicæ à patribus ejus Concilii conscriptæ: *Primitias quoq; fructuum & oblationes eorum, quas veterum institutio ecclesiis tribuit, sibi met vindicasse, id est,*

pro-

proprie ratiocinatione doctrinae, tanquam sanctis, sibi eas offerri debere, apud se & inter se dispensandas. Hoc igitur institutum ut everterent Patres Concilii Gangrensis, duos istos antea memoratos ediderunt canones, ut Episcopis sua, quam firmatam jam habebant, constaret autoritas.

IV. Vix tamen ausim afferere, nullam adhuc tùm Episcoporum animos invasisse habendi cupidinem, & tàm sanctè tantàque fide administrata ab eis fuisse bona Ecclesiastica, ut usibus communibus, quibus destinata ab initio leguntur, impena semper fuisse credendum sit. Nec enim ullam Eustathiani rationem instituti sui reddere potuissent, nisi fuissent subinde Episcopi, qui malè rem gessissent. Sine dubio multi id temporis operam dederunt, ut translata in se solos omnium Ecclesiæ opum potestate, haberent unde & ipsi viverent lautè, & cognati ac familiares ditescerent. Sanè, quod non multo post eodem seculo habitum fuit, Concilium Antiochenum, pessimos istos Episcoporum mores acerrimè perstringit, & illis adjunctos cupit in administratione tàm presbyteros, quàm diaconos, sine quorum præscitu nihil omninò agere illis liceat. Dignus est canon ejus Concilii ultimus, qui hîc legatur totus; & quidem ex versione Dionysii Exigui, qui eum recenset sub num. 103. his verbis: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summâ reverentiâ & timore DEI. Participet autem & ipse, quibus indiget, si tamen & indiget, tàm suis, quàm fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullâ quâlibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem: habentes viduum & tegumentum, his contenti sumus. Quod si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos & ejus commoda vel agrorum fructus non cum presbyterorum conscientia, diaconorumque pertractat, sed horum potestatem domesticis suis aut propinquis, aut fratribus filiisq; committat, ut per hujusmodi personas occultè ceteræ ledantur Ecclesiæ, synodo provincie pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut presbyteri, qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex aliâ quâlibet Ecclesiasticâ facultate sibi met usurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò & blasphemis tàm sermo prædicationis, quàm hi, qui dispensant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi, sanctâ synodo, id quod condecet approbante.*

V. Cùm verò, uti fieri solet, ubi rei cura pluribus commissa est, ut negligentius ea tractetur, administratio bonorum Ecclesiasticorum non eâ, quâ decebat, diligentia expediretur, circa eadem hæc tempora de speciali administratore, qui Oeconomus dicebatur, ubique ferè terrarum cogitari cœpit. Sic enim defini vit Arcadius Imp. tales Oeconomos, quod sint, qui Ecclesiasticas consueverunt tractare rationes l. 3. C. Theod. de his qui ad Eccles.

conf. Atque istos ex clero assumi oportuit, quod indignum videretur, Ec-

clericalibus rationibus præfici personas Laicas, etsi earum fides omnibus spectata & probata esset. Etsi verò Oeconomorum hoc officium Episcoporum inspectioni subesset, & ab eorum regimine dependeret, non potuit tamen quibusdam, qui suis consulere cupiebant facultatibus, non odiosum id esse. Unde vel ipsi reje&is omninò Oeconomis, administrationem eam suscipiebant, vel aliis, qui non erant in Clero, propinquo fortè alicui, aut uni ex familiâ munus istud committebant, vel etiam pecuniâ acceptâ talem præficiiebant, quem sibi propterea obligatum habebant. Omnibus istis corruptelis obviam ivit Concilium Chalcedonense *canone 26.* Quoniam in quibusdam Ecclesiis, sicut ad nos pervenit, Episcopi sine Oeconomis res Ecclesiasticas tractant, placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, habere etiam Oeconomum de clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam proprii Episcopi. Ut Ecclesie administratio sine testimonio non sit, & ex hoc res ejusdem Ecclesie dissipentur, & probum ac dedecus sacerdotio inuratur. Si autem hoc non fecerit, eum subjici divinis canonibus. Et *can. 2.* Si quis Episcopus propter pecunias promoverit Oeconomum, vel defensorem, vel mansionarium, vel omninò aliquem ex canone, sui turpis questûs gratiâ: qui hoc tentasse convictus fuerit, sui gradûs periculum subeat.

VI. Concilio huic Chalcedonensi innitur Concilium Hispalense II. *can. 9.* & addit: Si quis autem Episcopus post hæc ecclesiasticam rem aut per Laicalem procuracionem administrandam elegerit, aut sine testimonio Oeconomi gubernandam crediderit, verè ut contemptor canonum & fraudator Ecclesiasticarum rerum non solum in Christo de rebus pauperum judicabitur reus, sed etiam Concilio manebit obnoxius. Idem repetitur in Concilio Toletano IV. *can. 47.* sive uti in editione Johannis Garfiæ Loaisæ recensetur, *can. 48.* Atque sic intelligendi sunt canones Conciliorum universi, qui bona Ecclesie potestati, ordinationi, dispositioni, dispensationi, regimini, & arbitrio Episcoporum adscribunt. Nec tamen vel Episcopus, vel qui ab eo ex ordine Clericorum Oconomus constitutus est, ad tantam licentiam atque intemperantiam progredi possunt, ut sine alterius præscitu quisquam velit bona ista communia, in quoscunque placuerit usus vertere atque dispensare. De Episcopo nonnullos jam notavi canones liberam ei administrationem interdicentes, quibus addi potest, quod in Concilio Arvernensi statutum *tom. 2. Concil. p. 510.* legitur: Licitum sit Episcopis presentibus presbyteris & diaconibus de thesauro Ecclesie familie & pauperibus ejusdem Ecclesie secundum Canonicam institutionem, juxta quod indiguerint, erogare. De Oeconomis verò certa res est, si attendamus, eos non ἀνευθύνας fuisse, sed rationes reddere debuisse, & quod vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractent, uti dicitur in *d. c. 47.* Concilii Toletani IV. Unde & Vicedomini dicti fuerunt. Vid. Carol. du Fresne in glossar. voc. *Vicedominus.* Et huc pertinet Calixti Pontificis

tificis sententia, quam refert Gratianus c. nullus 16. q. 7. Nullus omnino archidiaconus aut archipresbyter sive prepositus vel decanus animarum curam vel prebendas Ecclesie sine iudicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat; imò, sicut à sanctis canonibus constitutum est, animarum cura & pecuniarum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio & potestate permaneant.

VII. Cæterum Archidiaconi proprium quasi aliquando officium fuit, Ecclesie opes curare, ejusdemque redditus in Clericos distribuere. Idque adhuc Justiniani Imp. ævo obtinuisse, patet ex *Novell. 123. c. 3.* Et proinde inter Archidiaconi munera hoc etiam recenset Isidorus *epist. ad Laudefred. Episcop.* in quâ plerorumque Ecclesie ministrorum partes singulatim describit. *Collectam, inquit, pecuniam de communi ipse accipit, & Episcopo ipse desert, & Clericis partes proprias ipse distribuit.* Atque hinc laudat Prudentius Laurentium Sixti Pontificis Archidiaconum propter fidem in tuendis & dispensandis Ecclesie opibus, dum ait:

*Claustis sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasq; dispensans opes.*

Sed nec Archidiaconum quicquam sine præcitu & consensu Episcopi de bonis Ecclesiasticis dispensare potuisse, patet ex epistolâ Gelasii ad *Justinum Archidiaconum & Faustinum defensorem*, cujus fragmentum recenset Gratianus c. vobis 12. q. 2. his verbis: *Vobis enim & famæ vestræ consulendum duximus, ut pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat: quatenus omnia prædia ad vestrum revocetis studium: nec cuiquam clerico pro portione suâ aliquod solum Ecclesie putetis esse deputandum, ne per incuriam & negligentiam minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisque collectam ad antistitem deferatis &c.*

VIII. Quæ de administratione bonorum Ecclesiasticorum hæctenus diximus, de acceptis potissimum atque expensis accipi debent, nequaquam verò extendenda ea sunt ad alienationem, præsertim immobilium. In his enim multo restrictior est potestas tum Episcopi, tum Oeconomi, etiamsi utriusque concurrat consensus. Plurimum enim quia interest ex hypothesi sequiorum temporum, res Ecclesiasticas salvas habere, neque imminui bona acquisita, non plurimum tantum consensus, sed discussio etiam causarum, quibus decretum alienationis innitatur, prævia requisita fuit. In codice canonum Ecclesie Africanæ *canon 33.* hunc in modum conceptus legitur: *Item placuit ut presbyteri non vendant rem Ecclesie, ubi sunt constituti, ne scientibus Episcopis suis, quomodo & Episcopis non licet vendere prædia Ecclesie, ignorante concilio, ἀγνοῦντος τῆς συνόδου, vel presbyteris suis. Non habente ergo*
necessi-

necessitatem, nec Episcopo liceat matricis Ecclesie rem tituli sui usurpare. Necesse igitur est, ut ad alienationem concurrat consensus non presbyterorum tantum, nec Episcopi tantum, sed tum Episcopi tum presbyterorum, & quidem urgente necessitate. Imò verò etiam superioris, metropolitani scilicet vel primatis consensus ut accedat, canone 26. ejusdem codicis requiritur. Item placuit, ut rem Ecclesie nemo vendat, quod si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hoc insinuandum esse primati provincie ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesia, ut non possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad concilium omnes referre sue Ecclesie necessitates: quod si non fecerit, reus DEO & concilio venditor, honore amisso reneatur. Videtur ex hoc canone necessarius fuisse etiam consensus Synodi provincialis, aut saltem plurimum unius provincie Episcoporum.

IX. Canones hos Africanos imitata est Gallia, dum in Concilio Agathensi canone 7. tale promulgavit decretum: *Casellas verò, vel mancipiola Ecclesie Episcopi, sicut prisca canonum præcepit autoritas, vel vasa ministerii quasi commendata fidei proposito integro Ecclesie jure possideant: id est, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, unde pauperes vivunt, alienare presumant. Quod si necessitas certa compulerit, ut pro Ecclesie aut necessitate aut utilitate, vel in usufructu, vel indirecta venditione aliquid distrabatur, apud duos vel tres provinciales vel vicinos Episcopos causa, quã necesse sit vendi, primitus comprobetur: & habitâ discussione sacerdotali, eorum subscriptione, quæ facta fuerit, venditio roboretur. Aliter facta venditio vel transactio non valebit.* Habitum fuit istud Concilium Anno salutis reparatæ DVI. Ne tamen propter exiguam & nullius momenti rem necesse sit vel metropolitano vel vicinis etiam Episcopis molestiam exhibere, statutum istud suum idem hoc concilium restrictum voluit ad possessiones & latifundia spaciosiora, & ex quibus damnum Ecclesie nasci potest non leve; Quæ enim minoris pretii sunt, Episcoporum dispositioni reliquit can. 45. *Terrulas aut vineolas exiguas & Ecclesie minus utiles, aut longè positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrabendi habeat potestatem.* Quibus tamen verbis non excluditur consensus suorum presbyterorum, qui utique eâ de re consulendi & audiendi sunt. Et ipsa illa distractio fieri insuper debet ad utilitatem Ecclesie communem.

X. Nec promiscuè tamen & semper omnis omninò alienatio Episcopis interdicta fuit. Quod enim non multo post congregatum fuit Concilium Epaonense, permutationem permittit can. 12. *Nullus Episcopus de rebus ecclesie sue sine conscientia metropolitani sui, vendendi aliquid habeat potestatem, utili tamen omnibus commutatione permessa, adhibito scilicet consensu eorum, quorum interest. c. 1. §. de reb. Eccles. al.* Sed rigidior multo fuit eodem seculo

seculo Leo Imperator in l. 14. C. de SS. Eccles. nec commutationis quidem titulum admittens, nec, si omnes cum religioso Episcopo & Oecono Clerici in earum possessionum alienationem consentiant. Vicissim verò permittit ille Oeconomis, ulumfructum alicui in bonis Ecclesiasticis ut constituere possent, id quod negaverat sine consensu Episcoporum vicinorum fieri debere, canon Agathensis supra adductus. Sic enim habent verba d. l. 14. §. ult. *Sanè ne omnis religiosus Oeconomis commode provisionis via & occasio venerandis Ecclesiis profutura videatur exclusa, id quod utile plerumque iudicatur, sub cautela observatione necessario procedere concedimus. Si quando igitur Vir religiosus Oeconomis hujus regie Urbis Ecclesie perspexerit expedire, ut desideranti cuiquam certarum possessionum atque prædiorum, urbanorum scilicet sive rusticorum ad jus Ecclesiasticum pertinentium temporalis ususfructus possessio pro ipsius petitione præstetur: tunc ejus temporis, quod inter utrosque convenit, sive in diem vite sue ab eo qui desiderat postuletur, pacta cum eo, qui hoc elegerit, ineat Oeconomis atque conscribat: per que & tempus, intra quod hoc præstari placuerit, statuatur, & manifestum sit, quod quisq; acceperit ab invicem hujusmodi beneficii gratia: præstando quidem Ecclesiastici prædii pro tempore ulumfructum, post statutum autem tempus & placitum ipsorum reddituum proprietate ad dominium & jus Ecclesiasticum recurrente firmiter &c.*

XI. Sub hoc Leone Romanam Sedem tenuit Simplicius, quo defuncto Odoacer Rex Italiæ vacante sede congregatæ Synodo per Basilium præfectum prætorio & patritium seponi fecerat, & illa approbaverat, ne unquam prædium seu rusticum seu urbanum vel ornamenta aut ministeria Ecclesiarum ab eo, qui deinceps antistes eligendus fuerit, & illis, qui futuris seculis sequentur, quocunque titulo atque commento alienentur. Idve placitum planè conforme erat constitutioni Leoninæ. Cùm verò post aliquot annos Symmachus in Sedem Romanam evectus fuisset, Synodo Romanæ ab eo convocatæ IV. contenta placiti istius non displicebant proflis, sed id tantum reprehendebatur, quod ab Laicâ potestate suggestum, & nullo deinceps præfule Romano confirmatum esset. Ut verò robur acciperet, placuit Symmacho Synodalem hunc constituere canonem, ut nulli Apostolicæ sedis præfule à presenti die donec disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum quantacunque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis sub perpetuâ alienatione vel commutatione ad cuiuslibet jura transferre. Nec cuiusquam excusentur necessitatis obtentu, quippe cùm non sit personale, quod loquimur, nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter clericos, & captivos, atque peregrinos &c. Sequuntur plura, quæ his verbis in compendium redegit Gratianus c. non liceat 12. q. 2. Non liceat papæ prædium Ecclesie alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in

usum fructum rura dare, nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet Urbibus non modicâ impensâ sustentantur, quâ lege omnes custodes adstringantur, ut donator, accensator, venditor honorem perdat, & qui subscripserit, anathema sit eum eo, qui dedit vel qui recepit, nisi restituatur. Liceat etiam quibuslibet ecclesiasticis personis contradicere, & cum fructibus alienata reposcere, quod non solummodo in Apostolicâ conservandum est Ecclesiâ: verum etiam universis Ecclesiis per provincias quidem dicitur id convenire. Ultima hæc Gratiani verba planè contraria sunt intentioni Symmachi, quippe qui solam sedem Romanam eâ constitutione aut decreto obligari, neque illud ad alias provincias extendi voluit. Hujus autem constitutionis, inquit, legem in Apostolicâ tantum volumus sede servari, in universis Ecclesiis per provincias secundum animarum considerationem, quem proposito religionis convenire rectores earum viderint, more servato. Rectè tamen Gratianus statutum istud, ut legem perpetuam, inseruit decreto suo, nec audiendus est Guilielmus Redoanus, qui in *tr. de rebus Eccles. non al. quest. 45. n. 4.* putat, procedere istud tantum de honestate, non de necessitate, eò quod antecessor successorem suum obligare nequeat.

XII. Nolo hîc prolixius congerere ea, quæ vel in Conciliis aliis patres Ecclesiæ, vel Imperatores, & maximè Justinianus in novellis suis constitutionibus passim, vel Reges denique & principes in suis territoriis per multa jam secula de rebus Ecclesiæ, quatenus eas alienare liceat, publici juris esse voluerint. Summa huc redit, non debere bona Ecclesiastica ullo modo alienari, nisi causâ necessitatis & summæ utilitatis, & præviâ quidem causâ istius discussionem, & cum omnium quorum interest consensu, ita tamen; ut in ejusmodi alienationibus Episcopi semper præcipua habeatur ratio. Modum procedendi & formam in istiusmodi talibus alienationibus observandam accuratè descripsit Johannes Paponius *lib. 1. arrest. tit. 13. n. 3.* & Antonius Mornacius *ad l. 14. C. de sacros. Eccles.* ubi refert exemplum, quo revocata fuit alienatio agri à quadraginta quinque religiosis ante quindecim annos facta propter contradictionem unius religiosi, qui eam post tot annos impugnabat, & sine causâ celebratam asserbat. Quale exemplum aliud refertur apud Antonium Bengueum & Franciscum Pisonem *de benefic. tit. de reb. Eccles. al. §. 7. n. 2.* Atque inde patet, quam difficile sit cum Ecclesiâ contrahere.

XIII. Antiquissimus verò, & qui Ecclesiæ multum emolumentum contulit, fuit contractus *precarie*, uti communiter dici solet, de cujus origine non omnium una est sententia. Nonnulli Francos aut potius Alemannos ejus autores faciunt, suæque sententiæ testem produciunt Beatum Rhenanum, qui de statu Alemanniæ post Glodovei Francorum Regis ad Tolbiacum victoriam hæc inter alia verba facit *lib. 2. Quidam etiam in illo recenti*
Cברי-

Christianismo res suas Ecclesie donabant, & rursus agros aut domum in beneficii modum recipiebant ad vitæ suæ tempus, non citra tamen pensitationem: nec filius post mortem patris aut heres vindicare sic donata poterat &c. At verò hoc non dicit Rhenanus, tum demum contractum istum primum inventum fuisse, sed cœpisse primum usurpari apud Alemannos. Antiquiorem verò ejus originem esse patet ex supra allegatâ l. 14. C. de SS. Eccles. ubi constituit Imperator Leo, ut is, qui possessionem Ecclesiasticam & certorum reddituum usumfructum habendi gratiâ interveniente pacto susceperit, non minùs, quàm alterius tantæ quantitatis, quantam acceperat, redditus cum ipsorum prædiorum dominio & rebus immobilibus eorumq; colonis & mancipiis Ecclesie derelinquat. Constitutio hæc antecessit Clodovei baptismum integris sedecim annis, nec dubium mihi est, multq; adhuc antiquiorem fuisse contractus hujus usum, quanquam non illicò in tantam varietatem excreverit, quantam successu temporis assumpsit.

XIV. Frequentior deinceps precariarum occurrit mentio in Conciliis, Agathensi c. 7. 45. 58. Epæonenſi c. 18. Aurelianensi l. c. 23. Aurelianensi IV. c. 34. Lugdunensi II. c. 5. Toletano VI. c. 5. & in aliis passim. Cum quibus si conferantur, quæ in legibus Longobardorum, & aliarum gentium, itemq; in Capitularibus Karoli Magni, imprimis verò in antiquis formulis Marculfi, & in chartis Alemannicis Goldasti aliisque instrumentis leguntur, dici non potest, quanta inde varietas occurrat, propter quàm fieri vix potest, ut per generalem aliquam descriptionem contractus hujus natura explicetur, & ignorantibus sub uno aliquo schemate proponi queat. Tentavit tamen id Georgius Franzkius Jctus clarissimus, tr. de laudem. cap. 12. n. 15. talem *ἰσχυραφῶν* atque *τόπων* exhibens: *Precaria est cessio ususfructus rei immobilis vel potius jus utendi fruendi, quod conceditur ei, qui Ecclesie rem suam donavit, aut liberis ejus vel in eâ re solâ vel in aliis rebus Ecclesie, vel tam in ea, quàm in aliis rebus ad tempus certum vel in tempus vitæ donatoris vel etiam filiorum ejus & in perpetuum, & tam sine, quàm cum annuâ pensione.* Sed vereor ego, ut omnes ejus variationes exposuerit, quippe quod nullâ certâ regulâ is continetur, sed pro ratione & varietate conventionis ipse quoque variet.

XV. Dicitur hic contractus precaria, quod qui rem Ecclesie utendam fruendam possidere volebat, id precibus impetrare ab Ecclesia debebat. Et multum differt ille à precario, de quo juris civilis Doctores commentari solent. Aliquando etiam dicitur *præstaria*, quanquam hoc vocabulum sæpè tribuatur Ecclesie Rectori, qui rem in præstitum concedebat, & quibus legibus eam concederet, exponebat, cum ex adverso precaria applicetur petitori, qui rem precario accipiebat. Sed enim discrimen istud non observari semper, imò verò precariæ & præstariæ vocabula confundi olim solita, eruditè observat Clarissimus Stephanus Baluzius ad Reginon.

lib. 1. c. 362. Constituebatur autem precaria tantum in bonis Ecclesiasticis, quæ materiam præbebant ei conventioni. Sæpè tamen, qui bona sua donabant Ecclesiis, hanc addere solebant cautionem, ne unquam ea in precariam concederentur, his ferè verbis: *Ut nulli Clericorum aut Laicorum aliquando res ipse, quas tradidi in beneficium, præstentur, sed ad locum, quo præfatus Martyr corpore quiescit, perpetua deserviant*, quæ leguntur in traditionibus Fuldenf. lib. 1. Et in hunc modum etiam Hincmarus Archiepiscopus Remensis Hospitale sive Nosocomium, quod extruxit, destinato usui perpetuum esse voluit, uti refert Frodoardus lib. 3. c. 10. Canonicis quoque, inquit, *hujus Remensis Ecclesie Hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum vel pauperum congruis ad id rebus deputatis, cum consensu Coepiscoporum Remensis dioceseos atq; subscriptionibus eorundem: eâ conditione, ut nullo unquam tempore quilibet Episcopus vel quælibet persona easdem res cuiquam in beneficium dare vel in alios usus abstrahere præsumat, neq; aliquem censum vel redditionem inde accipiat, sed totum, quicquid ex ipsis rebus justè acquiri poterit, in usus pauperum atq; Canonicorum secundum modum descriptum in privilegio à se & ceteris Episcopis confirmato, expendatur.* Cavere scil. hæc ratione volebant, ne in alios usus, quod creberrimè tum per precarias fieri solebat, verterentur bona Ecclesiis donata.

XVI. Sæpè autem publicæ calamitates adegerunt principes, ut ipsi bona Ecclesiastica acciperent precariæ titulo, maximè si exercitus conficiendus aut continendus esset. Ita namque cum Episcopis in Concilio Liptinenfi anno DCCXLIII. edixit Carlomannus: *Statuimus quoque cum consilio servorum DEI & populi Christiani propter imminentiâ bella & persecutiones ceterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem Ecclesiasticæ pecuniæ in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentiâ DEI aliquanto tempore retineamus, eâ conditione aut annis singulis de unaquaque casata solidus i. e. duodecim denarii ad Ecclesiam vel monasterium reddantur: eodem modo, ut si moriatur ille cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propriâ pecuniâ revestita sit. Et iterum si necessitas cogat, aut princeps jubeat, precarium renovetur & rescribatur novum. Et omninò observetur, ut Ecclesie vel monasteria penuriam, paupertatemq; non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit: & si paupertas cogat, Ecclesie vel domui DEI integra reddatur possessio.*

XVII. Etsi verò precariæ hæc antiquissimis temporibus non nisi ab Ecclesiæ Rectoribus, Episcopis scil. Abbatibus, & aliis, aut verò quod constitutione Leonis supra adductâ permissum fuerat, ab Oeconomis cujusque Ecclesiæ concedi possent; invaluit tamen seculo præcipuè Carolino, ut Regibus etiam talis potestas esset. Et distingui tum cœperunt precariæ, quæ sponte ab Ecclesiâ concederentur, ab illis, quæ jussu principis, ut disertè habeat verba in Capitulari Karoli Magni anno Christi DCCLXXIX. in

Synodali conventu editi c. 14. Precariæ ubi modo sunt renoventur, & ubi non sunt, scribantur. Et sit discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontaneâ voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt. Differentia autem præcipuè in eo fuisse videtur, quod in precariis jussu Regis concessis renovatione opus non esset, quippe quas sine consensu Regis non liceret rescindere. Quin & ipsimet Principes aliquando in beneficium aut precariam dabant res Ecclesiasticas, præcipue quando eas in dominicatu, uti loquebantur, defuncto Episcopo jure Regaliorum habebant.

XVIII. Non aliud ad rem præsentem magis est accommodatum exemplum, quam quod ex appendice ad Flodoardum recenset Hincmarus Remensis tom. 2. opusc. 60. de villâ Novilliacum. Donaverat villam istam tempore Tilpini Archiepiscopi Carlomannus ante obitum suum Ecclesiæ Remensi. Defuncto Tipino (hæc sunt verba apud Hincmarum) Archiepiscopo anno XXIII, postquam Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Novilliacum tradidit, tenuit dominus Rex Carolus Remense Episcopium in suo dominicatu, & dedit villam Novilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas & decimas ad patrem Remensis Ecclesiæ de ipsâ villâ usque ad mortem suam persolvit. Et defuncto domno Carolo, sed & ipso Anschero, postquam Carlomannus præfatam villam cum omni integritate Remensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia inde vestituram, sicut prædictum est, per annos triginta septem habuit. Post obitum domni Caroli & defuncto ipso Anschero domnus Ludovicus Imp. donavit ipsam villam Novilliacum Donato in beneficio. Qui Donatus interveniente Bigone per subreptionem quasi de fisco Regis quasdam colonias de ipsâ villâ obtinuit in proprietatem, per præceptum domni Ludovici Imperatoris: Et quando Lotharius filius domni Ludovici Imperatoris Cabillonem veniens eam expugnavit, Donatus à villa supra Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab Imperatore defecit, & illi mentitus ad Lotharium confugit, & veniente hostiliter Imperatore Ludovico ad villam, quæ Calciacus dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, & sacramentum ipse & sui ab Imperatore questum illi juraverunt. Inter quos & Donatus de infidelitate ejus comprobatus, ipsi Imperatori questum sacramentum juravit, & Comitatum Miridunensem & villam Novilliacum cum suis appenditiis Imperator ab eo abstulit, & Athoni, qui fuerat ostiarius Caroli Imperatoris, in beneficium dedit. -- Post obitum domni Ludovici Imperatoris diviso regno inter fratres & pace factâ inter eos & mortuo Athone, dedit Carolus Donato in beneficium Novilliacum. Processu denique temporis commendavit Donatus filium suum Gotselinum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Novilliacum cum appendiciis suis &c. Sequuntur plura, quæ exscribere pergerem, nisi ex adductis satis constaret, quantam sibi in conferendis bonis Ecclesiasticis potestatem vindicaverint principes seculares. Nec puto, precariam semper intercessisse, imò sæpè

pro fiscalibus habita talia bona fuisse, ex iisdem Flodoardi verbis sequentibus colligi potest.

XIX. Sic enim post Caroli Martelli tempora obtinuit, ut ejusdem Caroli exemplo, qui primus bona Ecclesiastica militibus suis utenda concessit, successores ejus, Pipinus, Carolus, Ludovicus, & qui secuti sunt alii, bona istiusmodi similiter in precariam Laicorum possessionem transferrent. Atque uti Reges ipsi Abbantias & Episcopatus Ducibus ac Comitibus suis, ut eo promptiores in bello haberent, mancipare soliti fuerunt, quod de Ludovico Balbo testatur Aimoinus sive quisquis est continuator, *lib. 5. c. 36. eum accepto nuncio in Audriacâ villâ de morte patris sui Caroli, quos potuerit, conciliaſſe ſibi dando eis Abbantias & Comitatus ac villas, ſecundum unicuiusq; poſtulationem*: ita etiam nobiles inferioris gradus, aut sibi ipsis parochiarum bona vindicarunt, aut inter milites diviserunt, quod in Concilio Romano, sive Ravennatensi, seu quocunque alio improbatum legitur apud Card. Baronium *ad ann. DCCCCIV. num. 28. Ut plebes Ecclesie nullatenus aut Comitibus aut Episcoporum vassallis aut ullis Laicis in beneficia tribuantur*. Plebes Ecclesiæ h. e. parochianæ. Hoc enim est, quod legitur in antiquis chartis, Ecclesias ipsas in beneficium Laicis concessas fuisse. Per Ecclesias enim oblationes, decimæ atque redditus Ecclesiarum intelligebantur. Ute ne sacra simul omnia in Laicos collata crederentur, distingvi coepit altare ab Ecclesia, ita ut in unâ eâdemque domo pars una Ecclesia diceretur, quoad Laicorum jura, altera altare, quoad juris spiritualis administrationem. Quam distinctionem ex Abbone Floriacensi illustrat illustrissimus Petrus de Marca *ad Concilii Claromontani can. 7.*

XX. Displicuit sæpè patribus in concilio congregatis ista commercii ratio, quæ circa bona Ecclesiastica frequentabatur, & exinde deliberationes instituérunt, quâ viâ emendari id, quod longo usu jam invaluerat, commodè posset. Et quia cum Regibus atque principibus sibi rem esse observabant, studiosè id semper dederunt operam, ut potentiorum istorum animos ab Ecclesiasticarum rerum dispositione, quantum fieri posset, averterent. Dignus est Canon synodi Beluacensis, qui insertus est canonibus Concilii Meldensis, *sub num. 22. ut hic totus describatur*. Exprimit enim non tantum, quâ ratione precariæ tum temporis, anno scil. Christi DCCCXLV. sese habuerint; sed etiam quid statutum fuerit de illis, qui per præcepta regalia precarias impetrassent. *Precaria à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesie, in suo tantum, qui dederit, nomine, si res proprias & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum usufructuario usu in suo tantum quis nomine sumat. Quia sic eas quemq; tractare oportet, ut alienarum dispen-*

dispensatorem, non propriarum largitorem. Et à nullâ potestate quis cogatur facere precariam de rebus propriè DEO & sanctis illius dicatis, cum ratio & usus obtineat, neminem qui non vult contra utilitatem & rationem prestitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio finit, nec auctoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico Rectore petantur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne sui ordinis & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quâcunque assentatione fieri petat: qui etsi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, regiâ discretionem & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro principis injustâ suggestionem dignè corripitur, & precaria secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem de quinquennio in quinquennium renoventur.

XXI. Post annos decem celebratum fuit Concilium Valentinum III, quod *can. 8.* multo acerbioribus verbis illos, qui jussu Regio bonis Ecclesiasticis incubare student, perstringit & coërcet. Placuit, ne prædia & possessiones Ecclesiarum voto fidelium collatæ cupidis ad invadendum paterent, & ne tali fraude rebus suis vacuarentur & spoliarentur Ecclesiæ, ne & gloriosorum Principum animi subreptione quorundam talium deceptivis callidisq; mendaciis laederentur: ut si quis non metuens judicium DEI & damnationem æternam, possessiones Ecclesiarum sive exspoliare qua pertinent ad jus earum presumpserit, excommunicationis sententiam, quousq; presumptionis factum recorraat, secundum Ecclesiasticam censuram ferat. Quod etsi prætenderit hujusmodi sibi indulta & concessa ab augustissimis Dominis nostris, nec si à sententiâ Episcopi sit liber, (multi enim probantur, in similibus mentiri) donec Rector ipsarum Ecclesiasticarum rerum ad clementes aures principis causam tam malè facti cum precibus Ecclesiæ deferat, ut ejus judicio & moderatione res unde agitur deliberetur, & is qui charitate fuerit privatus Ecclesiæ, tunc, si dignus est, absolvatur.

XXII. Adderem in eam sententiam canones ex diversis Conciliis multo plures, nisi ex jam dictis satis constaret, quantas cupiditates in animis hominum non Ecclesiasticorum tantum, sed Laicorum etiam excitaverint bona in Ecclesias collata, quibusque fibulis coërcitæ illæ quandoque fuerint. Nec verò dubium est, per precarias istas multis sæpè obtrectationibus & diffamationibus expositos fuisse Episcopos & Oeconomos, quod viderentur ita hereditates alienas captare, & defraudare heredes legitimos. Quam querelam ut amolirentur & se excusatos redderent Patres in Concilio Turonensi III. congregati, hanc *can. 51.* scripserunt apologiam: Diligenter tractare & inquirere pariter cœpimus in conventu nostro, sicut pia serenissimi Principis nostri nobis injunxit admonitio de illis hominibus, qui ex bere dati esse dicuntur, si aliquis esset, qui nostris temporibus voluisset dicere, se à quolibet no-

stram

strim illis privari rebus, quas pater ejus, aut mater, aut frater vel aliquis propinquorum ad Ecclesias DEI dedisset, & in ejus nomine iterum precaria à Rectoribus Ecclesiarum acciperetur. Sed in eodem conventu nostro neminem reperimus, qui de hac re adversus nos conqueri voluisset. Nam penè nullus est, qui res suas ad Ecclesias donet, nisi de rebus Ecclesiasticis aut tantum quantum donavit, aut duplum, aut triplum usufructuario accipiat. & quibus ille tunc, vel quantis filiis aut propinquis à rectoribus impetraverit, post discessum ejus eadem conditione, quâ ille tenebat, posteri ejus sibi vindicent. Hic usus & hæc ratio apud nos usque modo de talibus tenebatur. Nam nobis visum est, prædictis heredibus hanc dare optionem, ut si voluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua illi jam erant per legem exclusi, rectoribus Ecclesiarum se commendarent, & hereditatem illam in beneficium, unde se adjuvare ac sustentare possent, acciperent.

XXIII. Utrum hæc argumenta sufficientia visa fuerint aut videri potuerint heredibus ab intestato, dubitare merito licet. Sanè plus habere censetur, qui proprietatem alicujus rei habet, quàm ille, qui usumfructum tantum. Neque heredibus præsertim descendentibus unquam prospectum æquè erit per usumfructum bonorum, atque per proprietatem eorundem. Quamvis enim alienus sit usufructus, nihilominus dominus proprietatis de re ipsâ disponere potest pro arbitrio. Unde & vendere & obligare potest proprietatem l. 2. C. de usufr. E contrario verò multum accisa & restricta est potestas usufructuarii, uti patet ex l. 13. §. 4. ff. eod. & in precariis semper cautum fuit, ne quod præjudicium aut damnum ex usufructuario isto jure res Ecclesiæ caperent, ideoque iste usufructarius aut beneficiarius nullum illam rem minuendi aut alienandi pontificium haberet, uti legitur in formulâ §. 40. apud Marculfum. Sic & apud Goldastum tom. 2. antiq. Alemannicarum part. 1. num. 67. hæc extat præstaria: *quamdiu ipsas res habere voles, & quamdiu hoc feceris, & nostra fuerit voluntas absq; præjudicio S. Galuni ipsam villam tenere & usare facias, ad nullum Pontificium (h. e. potestatem) habeas, de ipsâ villâ nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuere, sed in quo possumus semper meliorare faciamus.*

XXIV. Sed de precariis hæc dixisse sufficiat. Cæterum de administratione bonorum Ecclesiasticorum unicum hoc addo, sollicitè admodum eam gestam olim fuisse, præsertim ubi amplum fuerat patrimonium. Majores namque Ecclesiæ suos habuerunt Oeconomos, suos chartularios, suos arcarios, qui omnes circa rationes reddendas & consignandas occupati fuerunt. Et Oeconomis quidem præcipuè ea cura commissa fuit, ut rationes istæ expeditæ essent, & de omnibus acceptis & expensis justa fieret annotatio. In Ecclesiâ Constantinopolitanâ hanc legem præscripserunt Imperatores l. 27. C. de SS. Eccles. Cum inquisitione diligenti Oeconomi discutiantur, sententiâ patriarchæ, factam impensam ab emphyteutis & conductoribus & admini-

administratoribus, unoquoque ex Oeconomis inquirente sibi commissa administratione. Reliquarum vero rationem inquirent ex iussione scripta patriarchæ, qui rationibus subscribet hoc: RELEGI, & quod extra hanc observationem discussum fuerit, de domo suâ Oeconomi præstabunt. -- -- In continenti oportet Oeconomos singulis mensibus, aut ad summum binis rationes reddere apud arcarios, sin minus, periclitabuntur.

CAP. XXIX.

De Jure quod competit Episcopo circa executionem testamentorum.

I.

Eleganter apud Corn. Tacitum judicat Germanicus: *Non hoc precipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exequi.* Rationem reddit Quintilianus declam. 308. quia nullum majus est solatium mortis, quam voluntas ultra mortem. Inde adeo semper curæ id fuit in utroque foro, ut supremæ defunctorum voluntates observarentur & ad effectum perducerentur, etiam religionis quandoque adminiculis in partes vocatis. Eum enim in finem solebant testamenti tabulas aut Vestalibus tradere custodiendas, aut in aliâ æde sacrâ deponere. Sveton. in Julio c. 83. & in Augusto c. 101. l. 3. §. 3. ff. de tabb. exhib. Utque expediretur id, quod iussit testator, ait Papinianus, heredes principali vel pontificali auctoritate compelli debere ad obsequium supremæ voluntatis. l. 50. in f. ff. de hered. petit.

II. Inter Christianos similis cura cesit Episcopis. Etsi enim in Concilio Carthaginensi quarto c. 18. prohibitum inveniatur, ne Episcopus tuitionem testamentorum suscipiat, recensente Gratiano c. 5. dist. 88. videtur tamen id non promiscuè de omnibus, sed illis tantum testamentis accipi debere, ex quibus nulla omnino piis causis expectanda fuerit accessio. Postea enim Episcopis autoritate Imperatoriâ injunctum hoc fuit munus, ut testamentorum ad pias causas factorum executionem procurarent. Sic enim Zeno Imp. in l. 15. C. de SS. Eccles. constituit. *Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem, aut jus aliquod personæ martyris vel prophete aut angeli, tanquam ipsi postea oratorium ædificaturus, & donationem insinuaverit, apud quos necesse est: cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perficere per se vel per heredes, & perfecto operi dare ea, quæ donatione continentur. Idem & in Xenodochiis & nosocomiis & ptochiis obtinet, licentia danda Episcopis & Oeconomis convenire ipsos.* In genere hæc constitutio

Kkkkk

con-